



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. Vtru[m] voces significant immediate conceptus, an vero res.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

tanquam cognitum faciat venire in alterius cognitionem ergo non sufficiat describeretur signum esse quod faceret venire in cognitionem alterius, sed deberet specificari modus particularis quo signum facit in cognitionem alterius venire, ob quem modum habet rationem signi, ut hoc distinguitur ab omni eo quod facit in cognitionem alterius venire, & non est signum: quare cum ille modus non sit specificatus in definitione Arriagæ neque etiam in secunda parte definitionis Augustini, si tollatur pars, merito ego impugnavi descriptionem Arriagæ, & poteram impugnare secundam illam partem Augustinianæ descriptionis. Et sane si vlla ex illis esset bona, quamvis quoad verba expressa posset convenire alicui, quod non esset signum, quia posset addi explicatio illa Mastrij: nempe quod signum, quatenus cognitum, faceret in cognitionem alterius venire; posset dici, quod hæc esset bona descriptio hominis, homo est animal; nam quamvis competat Bruto esse animal & propterea diceretur non esse bona descriptio hominis; tamen ad hoc responderi posset, quod animal quod dicitur de homine, esset animal rationale, quale nequit dici de Bruto.

Addi posset, quod Deus, etiam ut cognitus visione beatifica, faciat in cognitionem creaturarum venire, & tamen non sit signum, ergo videri posset non sufficere ad signum, quod, etiam ut cognitum, faciat venire in cognitionem alterius. Vnde patet ex omni capite deficere discursum Mastrij.

Hæc scripsi occasione illarum summarum, quas obiter tantum vidi apud quendam Patrem, qui statim à me discedere debebat, nec voluit illas mihi relinquere, in quibus fortassis plura alia contra me addita sunt, quibus ceteris satisfacere conarer, si summa illæ hic, vel Lugduni ubi hæc scripsi reperirentur.

QVÆSTIO II.

Utrum voces significant immediate conceptus an vero res

15. **O** Varietur in præsentia, utrum voces, quas ex dictis quæstione præcedenti suppono esse signa ad placitum, significant rem, quam concipit proferens vocem, an conceptum formalem, seu cognitionem, quam habet de illa re, an vero utrumque simul. Intelligitur autem hic per rem omne illud, quod est obiectum cognitionis, siue sit reale quid, siue rationis, siue positivum, siue negativum; siue etiam sit conceptus formalis, seu cognitio; siue non. Per conceptum vero formalem intelligimus cognitionem, quam habet quis de aliquo obiecto secundum se, non quatenus est obiectum alterius cognitionis, seu quatenus cognoscitur per aliam cognitionem: exempli gratia dum aliquis proferit hanc vocem *homo*, si eam significanter proferat, non est dubium, quin intelligat illud, quod dicitur homo, & illud dicitur esse res; cognitio vero seu intellectio dicitur esse conceptus, & non res. Similiter quando proferit hanc vocem *intellectio*, concipit illam rem quæ dicitur intellectio, per aliam intellectionem, & prior intellectio dicitur esse res; secunda vero non dicitur esse res, sed tantum conceptus.

CONCLUSIO.

Voces per se primo significant immediate res, non vero conceptus.

16. *Voces per se primo immediate significant res, & non conceptus rerum.* Est Doctoris 1. dist. 27. quæst. 3. & quæst. 1. huius libri quem præter suos sequuntur Gabriel in 2. & st. 22. Arriagæ disp. 13. quæst. 2. & quidam recentiores contra Combricensis cap. 1. huius libri quæst. 3. art. 1. & alios.

Probaturs primo, quia si voces immediate significant conceptus, hæc propositio esset falsa; homo est animal: sed hoc est absurdum: ergo. Probaturs sequela; tunc propositio affirmativa vocalis est falsa, quando illud, quod significatur per predicatum, non continetur isti, quod significatur per subiectum: sed si homo significat conceptum formalem hominis, & animal conceptum formalem animalis, quod significatur per predicatum huius propositionis non continetur illi, quod est significatum subiecti, neque

enim conceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis, aut è contra, ut patet: ergo.

17. *Probaturs secundo*, quia voces per se primo sunt impositæ ad significandas res: ergo eas per se primo immediate significant. Probaturs antecedens, quia homines, intelligentes voces, per se primo deveniunt in cognitionem rerum, & non conceptuum: ergo per se primo sunt impositæ ad significandas res & non conceptus.

Confirmatur, quia aliàs Græcus audiens propositionem Græcam prolatam ab ignorante linguam Græcam non intelligeret propositionem illam, quod videtur absurdum. Probaturs sequela, quia non intelligeret conceptum formalem, quem proferens habet.

Dices ex his haberi quod res etiam immediate significantur per voces, sed non haberi, quin etiam conceptus immediate per ipsas significantur.

Contra, quia si verumque simul æque primo significant, omnis vox esset æquivoca, quia æque primo significaret plures res, & non secundum eandem rationem: ergo non significant verumque simul, & consequenter, si significant res per se primo immediate, non significant conceptus immediate.

18. *Contra secundo*: quoties aliqua vox significat duo sic se habentia, ut vnum ex illis possit intelligi per vocem, non intellecto altero, non vero è contra; illud, quod potest intelligi sine altero, immediatius significatur per vocem, ut patet: sed conceptus non potest intelligi per vocem, nisi intelligatur res cuius est conceptus, res vero per illam vocem potest optime intelligi, non intellecto conceptu: ergo immediatius & primarius significantur res per voces, quam conceptus.

Intuli autem, semper, quod voces primario & immediate significant res, & non conceptus, quia non dubito quin secundario & mediate significant etiam conceptus, præsertim quoties proferuntur ab aliquo significanter: nam quia non potest quis sic eas proferre quin intelligat res, quoties audit quis aliquem proferentem voces significanter, primo quidem devenit in cognitionem rei significantæ, & postea potest, si vult, cognoscere, quod proferens habuit etiam conceptum istarum rerum. Et per hoc solvantur omnes authoritates, quæ contra nostram conclusionem adduci solent, nihil enim aliud concludunt quam voces secundario significant conceptus.

19. *Obiicies primo*: Voces sunt institutæ principaliter ad significandos conceptus: ergo. Probaturs antecedens, quia ideo instituerunt homines voces, ut declararent median- tibus iis suos conceptus.

Confirmatur, quia Angeli qui possunt declarare suos conceptus sine vocibus, non instituerunt voces: ergo ideo homines instituerunt voces, quia non poterant instar Angelorum declarare suos conceptus sine vocibus.

Respondeo distinguendo antecedens: ut per voces immediate significant, nego, ut mediate, concedo antecedens & nego consequentiam. Similiter distinguo probationem antecedentis: ut declararent per eas immediate, nego; mediate, concedo. Distinguo etiam consequens confirmationis, ut mediate declararent concedo, ut immediate, nego consequentiam.

Et si queratur, quandoquidem per voces voluerint declarare suos conceptus, quare non voluerint immediate illos significare? Respondeo, quia non poterant; quandoquidem, ut supra dixi, non possunt declarare suum conceptum, nisi ostendendo obiectum eius, & non poterant ostendere obiectum eius per vocem, nisi instituendo ipsam ad significandum immediate istud obiectum.

20. *Obiicies secundo*: Tum homines mentiuntur, quando proferunt verba non significantia suum conceptum formalem: ergo quando non mentiuntur, verba quæ proferunt, significant suum conceptum formalem.

Respondeo, quidquid sit de antecedenti distinguendo consequens, primario & immediate, nego, secundario & mediate, concedo consequentiam.

Obiicies tertio, Hæ voces, *intellectio, cognitio, conceptus formalis* significant immediate ipsum conceptum formalem: ergo saltem aliquæ voces significant immediate conceptus formales.

Voces significant etiam conceptus.

Respondeo distinguendo consequens: ut conceptus, nego; ut sunt res, concedo: cuius distinctionis ratio & sensus patet ex dictis num. 15.

QVÆSTIO III.

Utrum esse verum aut esse falsum sit de essentia propositionis, & utrum una propositio possit de vera fieri falsa.

Suppono ex summulis Propositionem, seu Enunciationem esse orationem, in qua aliquid de alio vel affirmatur, vel negatur; ut homo est animal, homo non est animal.

CONCLUSIO I.

Eadem numero oratio de vera nequit esse falsa nec e contra.

21. Probabilius videtur eandem numero orationem non posse de vera fieri falsam, aut e contra. Hæc est Smising. tr. 3. de Deo vno disp. 1. num. 33. Canelli disp. 3. de anima sect. 8. Auerse quest. 24. Log. sect. 7. Arriaga disp. 14. sect. 2. contra Suarezem disp. 8. Met. sect. 2. Ruvium hic qu. 5. Amicum tract. 21. disp. 4. qu. 1. Mastrium disp. 10. qu. 2.

*Probat*ur (loquendo de propositione mentali de præfenti, verbi gratia Petrus sedet, de qua est controuersia) quia quando aliquis affirmat, quod Petrus sedet, vel intelligit quod sedeat pro toto aliquo determinato tempore; vel intelligit, quod sedeat pro aliqua parte determinati temporis indeterminate; neque enim qui dicit de præfenti, quod Petrus sedet, videtur posse abstrahere, quin aliquo ex his modis intelligat Petrum sedere: sed quous modo ex illis illud dixerit, propositio si sit semel vera, non potest vnquam esse falsa, quantumvis continuaretur in æternum: ergo. Probat^{ur} minor, quia si velit dicere, quod sedeat primo modo, hoc est pro toto aliquo determinato tempore, si Petrus sedeat pro toto illo tempore, propositio non potest non esse vera, si vero non sedeat pro toto illo tempore, quamvis sederet pro parte ipsius, propositio non potest esse vera. Quod si velit dicere, quod sedeat secundo modo, si pro aliqua parte istius temporis sedeat, propositio erit vera, siue pro aliis partibus sedeat, siue nō; si autē pro nulla parte sedeat, propositio erit falsa necessariō.

22. Et si dicas ipsum non velle quod sedeat pro tempore aliquo: Tum propositio non erit de præfenti, & consequenter tollitur hypothesis controuersæ.

Confirmatur, quia actus, qui determinat intellectum ad cognoscendum, quod Petrus sedeat in loco A, non potest determinare ipsum ad cognoscendum, quod sedeat in aliquo alio loco: ergo actus, qui determinatur ad cognoscendum, quod aliquis scribat in vno tempore; non potest determinare ipsum ad cognoscendum, quod scribat in alio tempore: sed hoc esset falsum in sententia opposita, ut examinator patet.

23. *Obiicitur* primo: si aliquis iudicaret Petrum sedere, & conseruaret illud iudicium pro vna hora, casu quo pro media hora Petrus sederet, propositio esset vera, & casu quo pro altera media hora non sederet Petrus, propositio eadem esset falsa: ergo.

Confirmatur hoc auctoritate Philosophi, quia cap. de substantia expresse videtur asserere veritatem & falsitatem esse accidentia propositioni, in quo etiam cum eo consentit Scotus 4. dist. 8. qu. 2. ergo.

Respondeo non posse aliquem habere tale iudicium de Petro de præfenti, nisi pro aliquo tempore modo supra explicato, & sic quantumvis continueretur, vel erit semper vera, vel erit semper falsa.

Dices: Iudicium tale pro primo instanti erit iudicium, quod pro illo instanti determinate sedet, & si conseruetur pro alio instanti, erit iudicium, quod pro alio isto instanti sedet.

Respondeo, iudicium quo iudicatur rem pro primo instanti sedere, nunquam posse esse iudicium, quo iudicatur, quod pro vilo alio instanti sedet, & sic falsum supponitur in replica.

Ad confirmationem Respondeo, negando consequentiam, cuius ratio patebit ex dicendis. Posset etiam dici,

quod Philosophus dubitariue tantum proposuerit antecedens, & eodem modo explicari potest Scotus ipsum secutus.

24. *Obiicitur* secundo ex Mastrio: quando intellectus iudicaret ex motu aliquo probabili Petrum currere, non determinando tempus aliquod determinatum, & perfectuaret in illo iudicio per horam, si Petrus non curreret in vltima parte horæ, propositio illa esset conformis obiecto, & non esset conformis; non esset conformis obiecto, quia si diceretur: Petrus currit per horam, quandoquidem ex hypothesi non curreret pro tota hora, propositio esset falsa pro vltima parte horæ, & consequenter pro prima, si non potest mutari de vera in falsam: sed non esset falsa pro prima parte, quia cursus competere Petros pro illa prima parte.

Respondeo negando sequelam: illud enim iudicium esset absolute falsum, quia licet iudicaret vere cursum inesse Petro pro prima parte: at non iudicat solum hoc, sed cursum inesse illi etiam pro vltima; unde sicut qui diceret, homo est animal & brutum, dicit falsum simpliciter, quia licet diceret animal competere homini, quod est verum, quia tamen dicit ipsum esse brutum, quod non est verum, propterea absolute propositio illa non est vera.

25. *Obiicitur* tertio: Propositio de præfenti non significat aliud instans, nisi illud quod est, quando propositio est; ergo si quis continuaret propositionem qua diceret, in hoc instanti Petrus sedet, pro alio instanti significaret per eandem propositionem Petrum sedere pro alio instanti, & consequenter si Petrus sederet pro primo instanti, & non sederet pro secundo, sequeretur quod eadem propositio, quæ pro primo instanti erat vera, pro secundo sit falsa.

Confirmatur hoc, quia idem actus, quo quis vult efficaciter facere omnia, quæ sunt necessaria ad salutem, potest absque mutatione vlla sui determinare hominem ad confitendum, si confessio esset necessaria, & ad non confitendum, si confessio esset inutilis: ergo idem actus potest determinare ad affirmandum pro hoc instanti si hoc instans sit, & pro alio instanti, si hoc instans non sit, sed aliud absque vlla variatione.

Respondeo distinguendo antecedens: si determinat ex ratione sua illud instans, concedo; si non, nego antecedens, & consequentiam. Itaque non debet propositio de præfenti dicere suum obiectum esse pro omni tempore, cui potest esse præfens propositio, sed pro illo tempore, cui est præfens, & pro quo dicit subiectum esse.

Ad confirmationem Respondeo negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod actus ille contritionis determinat solum ad faciendam, quæ sunt necessaria ad salutem, quatenus sunt necessaria, non determinando aliquid in particulari secundum rationem aliquam particularem, nisi rationem conducentem ad salutem, & propterea debet posse determinare ad quodcumque, in quo est talis ratio, & non debet determinare ad aliquid, in quo non repetitur talis ratio. Iudicium verò respicit tempus aliquod sub aliqua ratione ex rationibus supra expressis in probatione conclusionis: & quia non respicit illud tempus secundum illam rationem in alio tempore, non potest respicere aliud tempus nec aliquid consequenter asserere pro alio tempore.

26. *Obiicitur* vltimo: si quis diceret, homines qui sunt in foro currunt, & quæ significaret Petrum currere, si fuisset in foro, ac Paulum si fuisset in foro: ergo eadem propositio est indifferens ad significandum hoc & illud obiectum, & consequenter potest esse indifferens ad significandum hoc vel illud tempus, neque enim magis dependet propositio à tempore quam ab obiecto, nec minus essentialiter hoc respicit quam illud.

Respondeo breuiter distinguendo consequens: quando propositio non respicit aliquod tempus determinatè, sed indeterminatè hoc vel illud, concedo consequentiam: quando respicit determinatè aliquod tempus, nego consequentiam. Sicut enim si diceret, Paulus qui est in foro currit, non posset eadem propositione dicere, Petrus qui est in foro currit, quia illa propositio respicit determinatè Paulum;